

Caroli Allionii ... Rariorum Pedemontii stirpium. Specimen primum. / [Carlo Allioni].

Contributors

Allioni, Carlo, 1725-1804.

Publication/Creation

Augustæ Taurinorum : Excudebant Zappata, et Avondus, 1755.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ne6js7g7>

License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10749/c









88655

CAROLI ALLIONII
PHIL. ET MED.
DOCT. TAURINENSIS
E
SOCIETATE PHYSICO-BOTANICA
FLORENTINA
RARIORUM
PEDEMONTII STIRPIUM

SPECIMEN PRIMUM.



AUGUSTÆ TAURINORUM

EXCUDEBANT ZAPPATA, ET AVONDUS
IMPRESSORES ARCHIEPISCOPAL. ET ILLUSTRISS. CIVITATIS
M D G C L V.

CAROLI ALLIONII

LIBRARIUS
DOC. TAVRINENSIS


Ex

SOCIETATI PHYSICO-BOTANICA
ALPINIA

книгопечат

ПЕДИОНИИ СТИЛІУМ

СРЕДНІЙ ВІДКРИТИЙ



AUGUSTA TAVRINUM

АКАДЕМІЧНА ТА АТЛАСНА ТИАНОДІСКА
ДОДАВАННЯ





*Amdiu inchoatum, absolutum demum Typis
committo Specimen hoc Botanicum, plus-
rium, que in Alpes nostras institui, itine-
rum fructum. Quamvis autem hoc opusculum leve
videri possit, utpote quod nonnisi triginta stirpium
iconem, & descriptionem complectatur, vix cre-
dibile tamen est, quantum temporis me disti-
nuerit. Cum enim ageretur de Stirpibus minus
notis, quarum nonnullae novae mihi videbantur,*

eos omnes , qui Alpinas , aut Montanas Stirpes
 commemorassent , Auctores consulere necessum erat ,
 tum etiam aliarum , nec indigenarum sicca spē-
 cimina mihi comparare , quorum utrumque ♂
 temporis dispendium , ♂ multam mihi molestiam
 intulit . Adde , si placet , clinicae Medicinæ curas
 quotidie ingravescentes , tum alia , quæ nullo mo-
 do prætermitti poterant , graviora studia , quibus
 horæ botanici studii aliquo ab hinc tempore pluri-
 mum coarctatae sunt . Hæc omnia diu prohibuerunt
 quominus postremam operi manum citius imponerem .
 Utinam vero illud nunc in publicam lucem pro-
 diret , quale diuturna consideratio postularet ; ab-
 solutum nempe , numerisque omnibus expletum , in
 quo nihil esset desiderandum . Video tamen ipse
 quantum illud a perfectione absit , ♂ quam mul-
 ta forte sint reprehensione digna , quorum tamen

veniam ab optimis Lectoribus facile impetraturum fore confido ob maximam argumenti difficultatem . Norunt enim optime qui per Alpes itinera aggressi sunt , colligendarum Stirpium caussa , quam diversa res sit herbas domi cultas , commodisque in locis nascentes describere , atque Alpinas raptim , non sine multis incommodis , & sape cum vita discrimine lectas . Rariorum , quæ mihi alpestres saltus peragranti accurrerunt , Stirpium icones Lectorum oculis subjicere opportunum visum est , earum præsertim , quas vel ab aliis prætermissas , vel non satis accurate delineatas animadverti : quamvis autem minus nitidæ , neque satis affabre concinnatae nonnullæ videri possint , Botanices tamen peritis satisfactum iri putaverim , eo vel maxime quod singulas stirpes uberiori descriptione prosequutus sim .

Quod ad nomina singulis imposita pertinet , ab

ali-

aliquibus profecto reprehensum me iri sentio, quod vetera pleraque retinenda existimaverim, recentiorum novis legibus minime servatis. Consulto id a me actum est, neque reprehensionem hanc timebo, donec videam, quæ Recentiores nomina effingunt, talia evadere, qualia ipsi præcipiunt; dum vero in his nominibus specificis constituendis Botanici diffentiantur, & ab unoquoque, pro ut ei lubet, immutantur, liceat mihi vetera usu recepta nomina conservare. Novis interea ubi Stirpibus nomina danda fuerunt, omnem in id diligentiam, industriamque contuli, ut præcipuas descriptæ herbe differentias includerent; minime tamen optima fore, vel semper futura esse fidenter affirmo.

(VII.)

NOMINA LIBRORUM, QUI IN HOC OPERE CITANTUR.

AMMANNI JOANNIS *Stirpium rariorū in Imperio Rutheno sponte provenientium icones, & descriptiones.* Petropoli 1739. 4.

ACTA Medicorum Berolinensium. Berolini 1718. ad 1731.
Vol. 21. 12.

BAUHINUS GASPAR *Pinax Theatri Botanici.* Basileæ 1671. 4.

EJUSDEM *Pradromus Theatri Botanici.*

BAUHINUS JOANNES *Historia universalis plantarum.* Ebroduni 1650. in fol. 3. Vol.

BARRELLIERI JACOBI *Plantæ per Galliam, Hispaniam, & Italiam observatæ.* Parisiis 1714. fol.

SPICILEGIO BOTANICO di Baltassar, e Michele Campi. in Lucca 1669. 4.

CUPANI *Hortus catholicus.* Neapoli 1696. 4. cum supplemento
EJUSDEM *Supplementum alterum.* Panormi 1697. 4.

CAROLI CLUSII *Rariorum plantarum Historia.* Antwerpiae 1601.
fol.

EJUS-

(VIII.)

EJUSDEM *Rariorum aliquot Stirpium per Pannioniam, Austriam;*
& vicinas Provincias observatarum Historia. Antwerpiae
1583. 8.

COLUMNA Ecphrasis Stirpium minus cognitarum pars I., & II.
Romæ 1616. 4.

DILLENII *hortus Eelthamensis*. Londini 1732. fol. maximo
vol. II.

EJUSDEM Jo. Raji Synopsis methodica Stirpium Britannicarum a
Dillenio emendata, & aucta. Londini 1724. 8.

REMBERTI DODONÆI *Stirpium historiæ Pemptades VI.* Antwerpiae
1616. fol.

JO. GEORGII GMELINI *Flora sibirica*. Petropoli 4. Tom. I. 1747.

HORTUS REGIUS *Parisiensis*. Parisiis 1665. fol.

ALBERTI HALLER *Enumeratio methodica Stirpium Helvetiæ indige-
narum*, Gottingæ 1742. fol. vol. II.

EJUSDEM *Iter helveticum anni 1739.* Gottingæ 1740. 4.

EJUSDEM *Opuscula Botanica*. Gottingæ 1749. 12.

HOFFMANNI MAURITII *Deliciæ hortenses, & silvestres*. Altdorffii
1662. 4.

DIONISII JONCQUET *Hortus*. Parisiis 1659. 4.

CAROLI LINNÆI *Fundamenta Botanica*. Amstelodami 1735. 12.

EJUS-

(IX)

EJUSDEM *Flora Lapponica*. Amstelodami 1737. 8.

EJUSDEM *Genera plantarum, earumque caræcteres*. Parisiis 1743. 8.

EJUSDEM *Flora Svecica*. Stockolmiæ 1745. 8.

EJUSDEM *Iter Oelandicum, & Gotlandicum*. Stockolmiæ 1745. 8.

EJUSDEM *Amænitates Academicæ*. Holmiæ, & Lipsiæ 1749. 8.

EJUSDEM *Philosophia Botanica*. Stockolmiæ 1751. 8.

EJUSDEM *Sistema naturæ*. Sexta editio Halensis.

MENTZELII *Index nominum Plantarum multilinguis*. Berolini 1682. fol.

PETRI ANTONII MICHELII *Hortus Florentinus a Jo. Targionio Tozzettio editus*. Florentiæ 1748. fol.

ROBERTI MORISON *Historia plantarum universalis Oxoniensis pars 2., & 3..* Oxonii 1680. 1699. edita fol.

JULII PONTEDERÆ *Compendium Tabularum Botanicarum*. Patavii 1718. 4.

JO. RAJI *Historia Plantarum generalis*. Londini Tom. 3. fol. 1686. 1688.

RAJI SILLOGE *Stirpium Europæarum extra Britanniæ nascentium*. Londini 1694. 8.

JO. FRANCISCI SEGUIERII *Plantæ Veronenses &c.* Veronæ Typis Seminarii 1745. 8. vol. 11.

EJUS-

(X)


EJUSDEM *Supplementum*. Veronæ 1754. 8.

SCHOLA BOTANICA. Amstelodami 1689. 12.

Jo. JACOBI SCHEUCHZERI *Itinera alpina*. Londini 1708. 4.
vol. 11.

JOSEPHI PITTON TOURNEFORT *Institutiones rei herbariæ*. Parisiis 1719. 4. vol. 3.

JO. BAPTISTÆ TRIUMFETTI *Observationes de ortu, & vegeta-
tione Plantarum*. Romæ 1686. 4.



ALYS-



ALYSSON, PYRENAICUM, PERENNE,
MINIMUM, FOLIIS TRIFIDIS Tourn. *Inst.* 217

Linnæi
Draba Pyrenaica

TAB. I. NON VI.



UIC, quæ prima hic describenda occurrit, stirpi Tournefortii nomen adscribitur, eo quod nulla alia cognita sit usque nunc Alyssi species, in qua memoratæ a Tournefortio notæ contineantur. Inhabitat hæc summos scopulos altissimarum alpium montis *Cenisii*, uti etiam alpium *Affiette*, *Le-Vallon*, & *La-Croix*, in reliquis, quas invisi, alpibus de cœtero rara.

Ex radice duriuscula, & inter scopulorum rimas penetrante cespites varii prodeunt; dense autem congesta folia rosulas constituunt. Folia tridigita sunt, seu in tres lobos linearri-truncatos, ad basim fere secta. Succulenta non sunt, sed exsucca, & nitentia: ex horum medio natus pediculus uncialis, aut semuncialis, nudus, aliquot flores sustinet umbellatos brevibus insidentes petiolis, aliquantulum odoratos, sat magnos pro plantæ ratione, pūrpurei, aut cinereo-pūrpurei coloris. Corolla patens est, unguis petalorum calicis altitudinem metiuntur.

Calix erectus est e quatuor foliolis concavis compositus, qui diu persistit, tandem caducus. Sequitur silicula compresa, acute ovalis, nihil emarginata dissepimento obverse ova-to valvis parallelo, cum permanente spinula. Silicula ad se-

A

mi-

2

minum situm modice tumet semen utrinque unum maturans;
cum tamen in Embrione duo utrinque sint.

Fructu compresso utrinque modice tumenti, & loculo
utrinque dispermo Clypeolæ accedit, sed ab ea differt fructu
non rotundo, nec emarginato. Jungi cum Draba, & Alyssio
nequit propter seminum paucitatem; cognitæ enim species
polyspermæ sunt sex ad minus utrinque semina includentes.
Cum Draba interim convenit fructu oblongo in acumen ter-
minato. Intermedia igitur est hæc stirps Drabæ, & Clypeo-
læ constitutis generibus. Ego interim Alyssi inter species ser-
vavi nomen Tournefortii retinens, cum videam maximam in
his novis generibus specierum affinitatem, & notis generum
charaæteristicis traditis haud ita bene species respondere.



AB-

ABSINTHIUM ALPINUM SPICATUM, FOLIIS
PETIOLATIS BIS TRIFIDIS, CAULINIS
PINNATIS.

T A B. I.

PRIMA hic describitur Absinthii alpini species apud nostros alpicolas *Genepi* dicta, stirps jamdudum Botanicis nota, sed maxime confusa. Qui varia ejus Synonima colligit Doctissimus Hallerus (*a*), vocavit *Artemisiam ex alis floridam, foliis petiolatis palmatis, planis, sericeis* (*b*). *Absinthium quidem pumilum, palmatum, minus, argenteo, sericeoque folio* Barrelieri (*c*); & Bocconi (*d*), uti etiam *Absinthium alpinum, incanum* C. B. & *Seriphium montanum candidum* Scheuchzeri (*e*) ex loco natali (*f*) ad describendum *Absynthium* spectant. Non ita certo statui potest de *Absinthio pumilo* I. B. (*g*) & *Absinthio umbellifero, mutellina quibusdam*, ejusdem (*h*).

Absinthium alpinum secundum Ponæ (*i*) quantum ex iconে conjectari licet, non ad hoc, sed ad *Absinthium* tertio loco recensendum potius pertinet. Demum *Artemisia foliis pinnatis, ramis ascendentibus hirsutis, floribus globosis pendulis, receptaculo*

A 2

(*a*) *Enum. helv. p. 695*

(*b*) Licet certæ notæ non adsint Abrotani, *Artemisiae*, & *Absinthii* genera distinguendi, antiquissima hæc genera confundere, & uno nomine *Artemisia* uti cum mihi non placeat, eo quod hæc genera habitu quodam externo sat distinguantur, *Absinthium* non *Artemisiam* vocavi; & præterea Hallerianum nomen hoc *Absinthium alpinum* ab aliis bene non secernit.

(*c*) *Ic. 462.*

(*d*) *P. 1. p. 81. T. 71.*

(*e*) *It. alp. p. 29. Tab. 3. fig. 1., & p. 328.*

(*f*) *Descriptio enim Scheuchzeri ita brevis, & icon, & stirps ita male expressa ut non liceat eruere, num de hoc *Absinthio* cogitaverit.*

(*g*) *De Absinthio p. 75.*

(*h*) *Hist. iii. p. 185.*

(*i*) *Monte Baldo p. 218.*

Artemisia spicata
Linnæi

⁴
culo papposo *Linnæi* (l), seu *Artemisia caulis simplicissimis*,
foliis pinnatis, lacinii linearibus parallelis, floribus solitariis (m)
eiusdem diversa est a nostro Absinthio.

Est huic Absinthio alpino radix dura lignosa: caules ad sum-
mum Spithamæi, vix tomentosi. Folia radicalia plura, com-
pressa, sericeo villo nitentia, non tomentosa, duplicato tri-
fida, laciñis linearibus, fine nunc acuto, nunc obtusiusculo.
Caulina folia pinnata pinnis indivisis, summa sessilia; ex ho-
rum alis longa serie nascuntur pediculi ex bombacina hirsu-
tie incani, flores solitarios sustinentes. Flores magni sunt,
aurei. Calix amplus, calycis squammæ virides ora nigra,
intus citrini coloris. Calix qua parte pediculo jungitur to-
mentosus: receptaculum nudum. Humiliora specimina magis
tomentosa sunt.

Reperi copiose in horrido abrupto supercilio altissimi col-
lis supra *Jaillon*. In Augustæ Prætoriæ alpibus etiam nascitur,
similibus locis.

AB-



(1) *It. Gotbl. jul. 13. cum fig., & H. Ups. p. 218.*
(m) *Ad Stockholm. 1741. p. 205.*

§

ABSINTHIUM ALPINUM; CANDIDUM,
HUMILE C. B. pr. 71.

T A B. I.

ALTERA hæc est *Genepi* species, quæ in editissimis jugis alpium Valdensium potissime frequentissima est, & a reliquis Absinthiis alpinis discrepat, floribus majoribus, aureis, umbellatis, quod discriminem primus adnotavit doctissimus Hallerus (a). Nomen ei sequens indidit *Artemisiæ floribus umbellatis foliis petiolatis palmatis, sericeis asperverans esse certo Absinthium alpinum, candidum, humile C. B.* a Bursero lectum in M. Gletschberg Vallesiorum.

Eo quod nulla usque nunc exhibita stirpis hujus figura sit, idcirco delineandam, & incidendam curavimus, & brevi, nervosæque Halleri descriptioni pauca superaddam, quæ raram alibi hanc stirpem magis definiant. Folia pinnata sunt, ut ait Hallerus, pinnis ad duo, & tria paria palmatis, & hæ pinnæ sœpius quinquefidæ, interdum quadrifidæ sunt laciniis angustis, & acutis. Folia caulina, quæ rara sunt, non differunt nisi paucioribus laciniis, de cœtero etiam petiolata sunt. Caules incani, spithamæi quando altiores, & aliquando ita breves ut vix biunciales sint.

Dixi oriri abunde in *vallibus Valdensibus*; adinvenitur etiam in Monte *Ceniso*, in valle *Lantii*, *Augustæ Prætoriæ*, aliisque alpibus, sed parcius.

AB-

(a) L. e. p. 694.

AB- (a)

A BSINTHIUM FOLIIS RADICALIBUS
M ULTOTIES PINNATIS; CAULINIS
PINNATIS, LONGE PETIOLATIS;
FLORIBUS PARVIS, RARIS
SESSILIBUS.

T A B. II.

TERTIA hæc Absinthii species a primo discrepat foliorum radicalium pinnis tenuioribus, & floribus sessilibus non petiolatis; a secundo floribus minime umbellatis, ut alia omittam discrimina ex ejus descriptione petenda.

Folia sericea habet tenuius, quam in præcedenti divisa segmentis angustioribus, & longioribus. Folia nempe, quæ etiam longe petiolata sunt, pinnis componuntur sœpius ad tria paria, & pinnulæ iterum incisæ sœpe sunt, & corniculatæ. Caulina folia similiter longe petiolata, & pinnis ad duo, aut tria paria pinnatis, pinnis rarissime non simplicibus; in alis foliorum residet sessile floris capitulum simile florri Absinthii *alpini spiccati* (a) &c., sed multo minus. Sericeo incana tota stirps est caulinis tenuibus, & semipalmariis.

In monte *Cenfio* ad scopulos infra prata *Los-Laros* collegi hoc Absinthium, de quo nil apud auctores scriptum video. *Absinthii secundi Ponæ* icon nostrum hoc videtur exprimere.

Absinthia alpina apud Alpinas Gentes ubique *Genepi* dicuntur, & iis utuntur ad multos morbos; egregie, & potenter sudores cient, iisque Medici nostrates cum successu utuntur iis in morbis, in quibus e re est vehementia sudorifera adhibere.

VIO-

(a) V. T. 1. f. 2.

7

VIOLA ALPINA MINIMA NUMMOLARIÆ FOLIO.

Bocc. *mus.* p. 2. p. 163. Raji. *bist.* tom. 3. p. 510.

Viola alpina nummolariae folio Bocc. mus.

p. 2. Tab. 127.

TAB. II.

VIOLA, cuius historiam, & descriptionem aggressior, nascitur inter diffractos lapides summi, & editissimi jugi *Col de la Fema morta*, per quod ex alpibus Valderianis ad Niciensem comitatum via est. Eam ibi collegi anno 1752. cum præcipites, sæpe abruptos, planeque horridos illius montis scopulos non sine vitæ discrimine perlustrarem. Sola etenim inter saxa & nivem inhabitat montis verticem reliquis stirpis plane desertum.

Quamvis brevis admodum sit Bocconi descriptio, & rudis, quam exhibet icon, utramque tamen cum mea Viola conferens eas reperio notas, quibus comprobetur revera hanc illam Violam esse, cuius Bocconus meminit. Magnitudo totius plantæ siquidem, foliorum forma, quæ revera inter nummolarium, & alsinæ est, floris demum color a Boccono adnotatus satis bene respondent; sed quod evidentius argumentum præstat, est stipularum in hac Viola forma, & positio, quæ non obscure ex iconæ Bocconi colligitur. Verum quidem est Bocconi Violam ex montibus Corsicæ, meam ex Valderianis natales suos trahere; at quis ignorat alpium etsi sub diversissimo cœlo positarum simile ingenium esse, & easdem in utrisque stirpes crescere. Diserte admodum, & egregie hac de re loquitur Clar. Linnæus (a) observans maximam

pär-

(a) *Proleg. ad floram Lapponicam* a §. 7. ad 15.

partem stirpium Alpium Lapponicarum ; etiam in Helveticis Alpibus reperiri , imo in Monte Ararat stirpes crescere , quæ in Alpibus Lapponicis etiam nascuntur : quid plura ? Non paucas ipse Bocconus enumerat stirpes , quæ & in Corsicæ montibus , & in Sabaudicis Alpibus crescere animadverterat . Verum ad ejus descriptionem veniamus .

Radix filiformis duriuscula , & subpurpurei coloris varios plerumque mittit caules , primum subrubentes , dein virides , seu potius varia mittit capita in caulinulos abeuntia . Cauliculi erecti sunt , nunc ramosi , nunc minime ; toti fere squamis testi , quæ stipulæ sunt aut novorum , aut veterum foliorum ; ex alis stipularum copiosa oriuntur folia cordato-acuminata , quæ semuncialibus insistunt pediculis . Folia duriuscula sunt , tantillum venosa , glabra , nihil omnino in ambitu denticulata , sed integerrima . Inter folia ex iisdem alis pedunculi florigeri pediculis foliosis altiores . Flos non magnus ut in *Viola grandiflora* , nec minimus , sed æqualis fere cum *Viola mar-tia* amplitudinis ; color floris cœruleus cum nigris radiis : trium inferiorum petalorum unguis albicant . Nectarium breve : floris odor vix aliquis . Ad singulos pediculos hæret stipula , quæ foliolum est linearis-tridentatum , dente medio longiori . Fructum maturum non vidi . Tubæ apicem crassum , & perforatum memini observasse .

Nullam Auctores Botanicos diligenter evolvens Violam inveni , quæ ad hanc referri possit . Notas , quibus a reliquis discriminatur , constituunt , folia omnia cordato-acuminata integerrima , stipulæ tridentatae , & ramosus , seu caulescens , licet humilis , plantæ habitus . Ex hisce omnibus perspicuum erit neutiquam confundi posse cum *Viola palustri rotundi-folia glabra* Morisoni (b) , quæ ab Hallero (c) *Viola acaulis foliis reniformibus* appellatur . Qui nostram cum ea conferet , jam aperi-
tissime diversam esse concedet .

ACHIL.

(b) Hist. Oxoniens. Tom. II. p. 475.

(c) Enym. ß. helvet. p. 501.

9

ACHILLEA FOLIIS PINNATIS , LANUGINE
TOTIS OBDUCTIS , FLORIBUS ALBIS
UMBELLATIS . Hall. En. helv. pag. 713.

T A B. II.

EX radice repente subnigra , & fere lignosa oriuntur cau-
liculi quandoque plures , quandoque unus , quorum alti-
tudo palmum non excedit . Folia ad radicem plurima , eaque
ex longo plano petiolo elliptico-oblonga forma figurata . Cau-
linia similia sunt , sed breviori nituntur petiolo , ita ut sum-
ma sessilia sint . Omnia pinnata , & pinnas exhibent nunc lineares
indivisas , nunc trilobas , aut tribus dentibus profunde sectas .
Maximopere tomentosa stirps est tam denso villo prædita , ut
sub illo pinnæ , & earum dentes ferme occultentur . Idcirco ,
quo foliorum figura , & pinnarum varia compositio pateret ,
duo foliola distincte delineari voluimus . Cauliculos umbella
terminat , quæ fit ab octo persœpe floribus semunciali pedun-
culo gaudentibus . Calycem floris componunt plurimum ordi-
num squammæ , quarum exteriores tomentosæ . Omnes palli-
de virent oram habentes nigram , cristatam , seu potius sim-
briatam ; semiflosculi octo , vel decem , albi , ad limbum in-
cisi , fere quadranguli ; flosculi lutei viginti circiter ; semina
sequuntur tetragona nuda fusci coloris : flosculis , & semiflo-
sculis interjacent squammæ memoratis calycinis similes , unde
receptaculum paleaceum .

Primus omnium hujus herbæ meminit Fœlix Platerus , ex
quo habuit Joannes Bauhinus , & appellavit *Millefolium alpi-
num , incanum flore specioso* (a) . Sub hoc nomine etiam in-
dicarunt Robertus Morison (b) , Rajus (c) , Tournefortius

B

(d) ,

(a) *Hist. pl. iii. pag. 148.*

(b) *Ox. iii. pag. 39. T. xi. f. 2.*

(c) *Hist. pl. 347. & Syll. ext. p. 182.*

(d), & Joannes Jacobus Scheuchzerus (e). Sub eadem etiam appellatione venit in Chabræi Sciagraphia cum eadem profus iconè, & descriptione. Bocconus eam diverse indicavit sequentibus nominibus *Millefolium alpinum tomentosum, odoratum nanum* (f), *millefolium tomentosum odoratum* (g), *Millefolium alpinum, humile, incanum, odoratum flore albo* (h). Prima duo Bocconi Synonima etiam enumerat Joannes Jacobus Scheuchzerus, sed Bocconus nullum de Bauhini nomine verbum facit.

Si descriptio excipiatur, qua Hallerus stirpem hanc illustravit, nihil boni eruere licet sive icones, sive descriptiones consulantur. His de rationibus confido pleniores, quam dedi, ejus historiam acceptam futuram esse.

In Valesiæ Montibus suam invenit Felix Platerus, Scheuchzerus in altissimis Aversanis, & Prægalliensibus jugis, nec non in Furcæ altissimi Montis boreali parte. Ibi etiam lecta fuit a Præcl. Hallero; Bocconus utriusque Montis Cenisii indigenam facit, sed copiosius adhuc nascitur ubique in summis scopulosis, & nivosis Alpium Cottiarum jugis. Alpicolæ Montis Cenisii cum *Genepi* confundunt, & herbam *della rotta* etiam vocant, quod etiam jam suo tempore adnotaverat Bocconus (i). Cæteri alpicolæ distinguunt *Herbam della rotta*, & *Genepi*, sed *Genepi* nomen neque unam eandemque *Absinthii alpini* speciem perpetuo significat; hæc *Herba della rotta* longe differt ab ea, quam Matthiolo indicavit *Cortusus*, & post J. Bauhinum Chabræus in sua sciagraphia recensuit, & hoc quidem de discrimine jam dubitaverat Bocconus (l). Hujus *Herbæ della rotta* integra, & absoluta descriptio infra tradetur.

(d) *Inst. p. 496.*

(e) *It. 2. p. 138. in itinere vero iv. p. 338.*

(f) *Mus. pl. p. 166.*

(g) *L. c. Tab. 120.*

(h) *Mus. di sper. pag. 191.*

(i) *Mus. pl. p. 166.*

(l) *Mus. di sper. pag. 191.*

Aromatica stirps est hæc Achillea gustu acri, & amaro; magnæ est æstimationis apud omnes Alpicolas. Utuntur ea sicuti *Genepi* ad sudorem pellendum, ad ventriculi & abdominalis dolores, quos non raro afferunt gelidæ nivales aquæ, quas bibunt. Nulla domus ea caret, & ipsis est tamquam medicina quædam universalis.



ACHILLEA FOLIIS INTEGRIS, ODORATIS,
CUNEIFORMIBUS, IN APICE
DENTATIS.

TAB. II.

PAUCI Botanici eam viderunt Achilleam, quam nunc describendam suscipio. Olim Antonius Cortusus hanc Achilleæ speciem ad Matthiolum misit (a) *Eupatorium Mesues flore albo vocans*, eique significavit *Herba rotta* in Pedemontio, aliquo voçari, & multam nasci in Valle di *Lanze*, & in *Valle Sandæ fidei Patavinorum*. Joannes postea Bauhinus (b) a Valerando Dourez plantam hanc cum descriptione acceptam commemorans, Dourez descriptioni ea addidit, quæ Antonius Cortusus ad Matthiolum scripserat. In Chabräi Sciagraphia (c) icon, & descriptio Bauhiniana repetuntur. Robertus Morison (d) appellat *Ageratum Alpinum latiore, & rotundiore folio*. Rajus Joannis Bauhini descriptionem (e) referens monet propter flores radiatos ad Ptarmicam esse referendam. Neque post hos Botanicos ulla amplius facta hujus herbæ mentio est.

Ex radice lignosa, nigra, varie inflexa, cespitis instar caules oriuntur spithamam circiter alti, filiformes, rotundi, virides, ad quorum radices folia plura congeruntur, in caule cæterum rara. Crassula, succosa, glabra, cuneiformia, sessilia sunt, ex angusto principio sensim in subrotundam formam ampliata. Foliorum apex in primis foliis septem dentatus; quinque dentatus vero in secundis; in summis tridentatus, aut etiam integer.

Cau-

(a) In Epistola edita in Commentariis Matthioli post Auctoris præfationem.

(b) Hist. iii. p. 1. p. 144.

(c) P. 368.

(d) Ox. 42.

(e) Hist. 364.

13

Caulis terminatur corymbo florum, seu radiis sex, aut novem, aliquando etiam paucioribus, subincanis, uncialis, aut semuncialis longitudinis, quorum quilibet fert florem unum, rarissime duos. Calix cylindricus potius est, quam hemisphaericus, ab inaequalibus, viridibus, imbricatis squammis constitutus. Semiflosculi ovato - quadranguli, albi, octo plerumque, nunc uno, nunc duobus dentibus incisi cum tuba bicorni. Flosculi autem albi etiam sunt a 10. ad 20., quinque partiti, eorumdemque stamina quinque sustinent antheras luteas coalitas, quibus interjacet tuba bicornis, lutea, flosculis altior. Thalamus floris paleaceus est.

Placuit Achilleam, non Ptarmicam, vocare, Clarissimorum in re Botanica Virorum vestigiis insistendo, qui Millefolii, & *Ptarmicæ* genus conjunxerunt; nulla enim suppetit nota hæc duo genera distinguendi sive folia, sive calycem spectemus; a quibus unice peti posset. *Achillea ex. gr. foliis pinnatis, lanugine totis obductis, floribus albis umbellatis* Hall. calycem habet hemisphaericum, folia vero millefolii æmula, & inter millefolia recensuit Tournefortius. Quæ vero eidem Auditori *Ptarmica alpina, tanaci folio, fl. purpureo est*, calycem ostendit cylindricum; in *Ptarmica demum alpina matricariæ folio* Triumf. obs. 88. calycem conico cylindricum esse animadvertis; unde patet optimo omnino jure *Ptarmicæ*, & *Millefolii* genera in unum reduci.

Oritur in locis siccis, & saxosis secus torrentes in Valle Lantii, uti quoque in Alpibus Valderianis, & Vinadienibus, ubi maximi habetur pretii ad omnes morbos. Veherentem aromaticum odorem tenet, qui omnino exhibet odorem *Balsamitæ minoris* Dod. pempt. 295. ejusq. vires habere observatio docet.

VIOLA FOLIIS OVALIBUS, INTEGERRIMIS,
UNIFORMIBUS, PEDUNCULIS
CAULINIS.

TAB. III.

EODEM prorsus loco, quo *Campanula* plerumque multicaulis, *uniflora*, *foliis ovatis sessilibus integerrimis*, collecta & est hæc *Violæ* species, quæ radicem habet longissime inter diffractorum scopulorum lapides repente, & varia dein fundentem capita, ad quæ multa nascuntur folia ovalia, tenera, succosa, glabra, minime venosa, obscure virentia, & longe petiolata. Hæc folia caulinum sine ordine exornant uncialis ad summum altitudinis, qui deinde in summo producit ex alis foliorum duo, sed frequentius unum pediculum uncialis longitudinis cum flore magno nitide purpureo; *Violæ montanae cæruleæ grandifloræ* H. R. Par. adinstar, sed paullo majoris & obscurioris coloris. *Calyx, flos, tuba nihil differunt*, & nisi folia diversitatem ostenderent, eamdem dices.

Folia tenera cum sint, ad ambitum uno, alterove loco non-nunquam erosa sunt, ut crenas mentiantur; videant ideo Botanici num ad nostram sit deducenda *Viola petræa*, *bisambiens*, *crassulo*, *crenato ocymi folio flore majore inodoro cæruleo venis candidis distincto* Cupani (a).

Viola acaulos flore foliis multo majore Hall. en. 502. diversa a nostra est foliis solidioribus, & dentatis.

SE-

(a) *Hort. cath. 230.*

SEDUM ERECTUM, RAMOSUM, FOLIIS
PLANIS, FLORIBUS ALBIS LONGE
PEDUNCULATIS.

TAB. III.

RARISSIMAM exhibeo Sedi speciem, de qua nullam plane notitiam apud rei Herbariæ Scriptores reperire datum est.

Cauliculus ei tenuis, filiformis, erectus, ramis hinc inde & sine ordine diffusis; folia ad ramifications potissimum apponuntur fere sessilia, tenera, succosa, venosa sunt, & veluti ex adspersa pruina *Mesembryanthemi*, *chrystillini plantaginis* folio undulato (a), adinstar pulchre nitentia. Foliorum forma ex elliptico acuminata, sed hæc forma quidem in primis & secundis potissimum se se monstrat; nam postrema admodum variant nunc angusta, nunc fere rotunda. Rami singuli in tenuissimos pedunculos abeunt semuncialis, aut etiam uncialis longitudinis, qui florem sustinent album pentapetalum, calyce quinquefolio exceptum. Corolla patens est, & calyce amplior. Petala elliptica sunt, paullisper acutiora, quam ico- ne repræsentetur, extus levissime virent cum in interiori facie albissima sint; stamina decem sunt, alternis brevioribus, & circumdatur ab iis ovarium, quod ex quinque coalitis vaginulis fit. De fructu, & semine nihil licet addere, quoniam maturitatem semina nondum cæperant, quo tempore stirpem hanc collegi, quæ nullibi deinceps obvia fuit, nec illius loci denuo invisendi se se postmodum obtulit occasio. Eam repe- ri anno 1746. sub initium Augusti mensis in Valle Valden- sium S. Martini secus viam, quæ ab oppido *Le perrè* dicit ad

(a) *Dill. Hort. Elth.*

ad oppidum *Pralles*. Viam ibi importuni impediunt ingentes lapides ex altissimis proximis rupibus decidui, sub quorum concamerationibus se se abscondit.

Quandoquidem Sedi hujus folia aliquomodo ad *Lentis* fructus figuram accedunt, dubitare aliquis posset, num de hoc Sedo intellexerit Mauritius Hoffmannus, qui *Aizoi*, seu *Sempervivi* speciem ex Monte Baldo sequenti nomine describit. *Aizoum*, sive *Sempervivum alpinum M. Baldi fol. lenticulatis flor. non punctatis* (b). Hujuscce Sedi, quod Baldi Montis indigenum facit Mauritius Hoffmannus, nulla plane cognitio ab iis, qui Veronenses stirpes descripserrunt, eruitur; & præclarissimus, amicissimusque vir Joannes Franciscus Seguier, qui Veronensem agrum, montemque præcipue Baldum diligentissime perquisivit, doctissimeque illustravit; cum eum de Sedo hoc Mauritii Hoffmanni per literas interpellasset, certiorem me fecit nullum sibi adhuc Sedum occurrisse, quod cum memorato conveniret. A clar. Hoffmanno recensitum Sedum minime siluit Christianus Mentzelius, sed Hoffmanni nomen repetens *albis floribus* esse superaddit (c).

Quod pluribus stirpibus, & nonnullis etiam Sedi speciebus contingit, ut foliorum color per ætatem ex viridi in rubrum colorem degeneret, id mihi domum, itinere absoluto, postmodum repetenti in Sedo hoc contigit observare; & si ruber color acidum indicat quemadmodum a doctissimo Linnæo (*fund. bot.* 364., *Sist. nat. editio Lips. anni 1748. p. 218.*, *Phil. bot.* 286.) affirmatur; optimo jure conjicere licebit communes cum hoc Sedo eas omnes virtutes esse, quas habent non paucæ Sedi species, quæ acido sapore donantur.

SA-

(b) *Del. Hort.*(c) *Ind. Univ.*

SAXIFRAGA FOLIIS PALMATIS,
CAULE DENSE FOLIOSO, ET
FLORIGERO.

TAB. III.

Auctores, qui de re Botanica scripserunt, quotquot habere potui, diligenter evolvens nullum ab iis fieri verbum video de hac Saxifraga, cuius locus natalis est Alpis Albergian in quodam humido, & scopuloso recessu.

Villosa, & viscosa in universum est; folia ad radicem multata in orbem congesta, crassa, profunde, & obtuse quinque-dentata. Caulis vix digitalis, foliosus, foliis longe petiolatis profunde; & inaequaliter aut quinque, aut tribus etiam dentibus seftis. Ex alis pedunculi foliosi nunc simplices, nunc ramosi, flore albo singulis ramis insidente. Folia floralia ad ortum florum posita integerrima: ovarium sub flcre est, maturum non vidi.

A notis huc usque Saxifragis, ut existimo, discriminatur *caulibus dense foliosis*, & *florigeris*. *Saxifraga foliis brevibus palmatis densissime congestis* Hall. (a) humilior est, flores habet potius umbellatos petiolis unifloris, praeterea nullam nec villositatem, neque visciditatem ostendit. *Saxifraga tridactilites groelandica*, *cauliculis valde foliosis* Dill. (b) folia triloba habet cauli appressa cauliculis, postquam nudi facti sunt, umbellas florum sustinentibus. *Saxifraga demum foliis omnibus*

C


an-

(a) *Enum. helv.* 404.

(b) *Elsb.* p. 337. T. 253. f. 329.

angustis, petiolatis in apice tridentatis; Caule folioso; ramoso;
viscido (c) a nostra discrepat foliis longe petiolatis, profunde
trifidis & ramis nudis.

Pleræque alpinæ Auctorum Saxifragæ nostris etiam in Alpibus reperiuntur; duas alias teneo plane novas, & alio opere, si Deo placuerit, describendas cum aliis non paucis novissimis nostratis stirpibus.



VE-

(c) Hall. l. e.

VERONICA CAULE SIMPLICI,
FLORIBUS CONGESTIS TERMINATO,
FOLIIS OVATO-ACUTIS,
DENTATIS.

T A B. III.

FIRMIS , duriusculis caulinis se se erigit Veronica hæc , quam in saxosis summæ Alpis *Albergiam* dictæ supra oppidum Fænestellarum positæ adinvenimus . Cauliculi rotundi sunt digitalis altitudinis , tria plerumque ex opposito nascentium foliorum paria habentes , folia sessilia sunt , erecta , ovato - acuta , quinque aut sex dentium paribus . In superiori facie ferme glabra sunt , in averfa rugosa , nihil hirsuta ; flores in spicam laxam breviorem congesti , capsula cordato - ovalis cum multo semine .

Non video ab Auctoriis Botanicis commemoratam hanc Veronicam , nisi aliqua ex Michelianis num. 10. 11. 12. (a) recensitis ad hanc sit referenda . Procul dubio diversa est a *Veronica , caule non ramoso , floribus congestis terminato , foliis ovatis pene glabris Hall.* (b) , foliis non crenatis , firmioribus , sed dentatis , & in averfa parte rugosis . Folia deinde in *Veronica memorata Halleri* licet


C 2

mul-

(a) Mieb. H. flor. p. 99.

(b) Enum. p. 53. , Tab. xii, f. 22

multum varient (*c*), non tamen eam formam ovato-acutam acquirunt. Præterea Veronica illa sæpius caulinulos habet inflexos, & resupinos; hæc recta firme se se erigit.



VE-

(*c*) Mirum dictu, quantum variet hæc Veronica: nunc folia sensim decrescent, ut superiora linearis elliptica sint; nunc æquali fere magnitudine progrediuntur; nunc contraria omnino ratione prima cum parva sint, quæ sequuntur majora fiunt, postremo florum capitulo supposito, omnium maximo. Foliorum crenæ quoad numerum etiam inconstantes, & in quibusdam speciminiibus fere deficiunt. Altitudo incerta est: teneo specimina a semunciali ad digitalem.

VERONICA REPENS, EX ALIS SPICATA,
FOLIIS ROTUNDIS, FIRMIS,
GLABRIS, DENTICULATIS.

T A B. IV.

HÆc Veronica, cuius nullam distinctam historiam detegere datum est apud Auctores Botanicos, vulgatissima est in Alpibus Pedemontanis. Alpes *Cottiae*, *Valderianæ*, *Vinadienses*, *Sabaudiæ* &c., ubique copiose habent, nec ea desideranda venit in Alpibus etiam Niciensibus. Magnæ aestimatio-
nis est apud nos, & antefertur seu *Veronicæ supinæ vulgatissimæ officinarum C. B.*, seu *Veronicæ teucrii veri nomine (a)* a Berolinensibus Medicis celebratae.

Duris, rubentibus, nodosis, & lignosis virgis, & saepe ramosis repit, uti *Veronica supina vulgatissima*, folia opposita nascuntur, firma, dura, utrinque glabra, nitentia, minutissime denticulata; ex nodis, ad quos folia oriuntur, radiculas saepe demittit, quibus firmiter telluri inhæret, & ex summis alis florum densa spica cum pedunculo unciali. Flores in icone male exprimuntur, nec optime in flore, quem sejunctim pingi curavimus. Flos, qui colorem exhibit cæruleo-violaceum, difformis est; segmentum nempe superius ovatum, amplum, minora, & angusta linearis-rotunda lateralia, cum infimo adhuc angustiori. Fructus sequitur oblongus, cordatus, polyspermus.

Foliis maxime glabris & duris nihil omnino aut strigosis, aut hirsutis differt a *Veronica supina*, & *vulgatissima*. Viden-
dum num ad nostram pertineat *Veronica mas repens pirenaica*, folio longiori, glabro schol. Bot., Plukn. phitogr. Tab.
233. fig. 1. Tourn. inst. 143.

AN

[a] Act. Berolin. Vol. II. n. 5.

An ARETIA GLABRA, OBTUSI-FOLIA,
UMBELLIFERA. Hall. helv. 486.

T A B. IV.

RADICULA est huic Aretiae subfuscata, & repens, ex qua foliorum rosulae plures aliquando, sed saepius unica. Linguata folia sunt, elliptica, fine obtuse acuminato, tenera, venosa, dilute virentia, & glabra. Inter haec, sed non e rosularum centro, scapi exeunt filiformes, variæ altitudinis ab unciali usque ad palmarem altitudinem umbellam florum ferentes, quorum radii, seu pedunculi florigeri, inæquales. Frequentius duo, aut tres sunt, raro plures, & ad ortum pedunculorum stella ex quinque foliolis acutis inæqualibus. Calix floris semiquinquefidus luteo-virescens. Tubus floris cylindricus, brevis segmentis ovatis integerrimus. Antheræ in collo corollæ sitæ. Floris, qui cum umbilico luteo pallide rubet, centrum ut in heliotropio plicatur, plicis glandulas nectariferas occultantibus. Fructus intra calycem maturat rotundus, qui quinque valvis aperitur, & semina nigra, quodammodo reniformia continet.

Flores in hac Aretia constanter satis nascuntur umbellati; varietas tamen flore singulari mihi se se obtulit in Monte Cenisio ad summas rupes *la Turra*, eaque carebat calyce communi. In jugo etiam editissimo Alpis *Jaillon* mixtim nascitur utraque Halleri (a) *Aretia villosa*, scapis nempe *unifloris*, & *multifloris*, quæ cum solo numero floris radiorum differant, in reliquis similes, in unam jungi speciem posse existimarem, eo vel maxime quod in duabus etiam aliis Aretiis eandem variationem deprehenderim: in *Aretia*, nempe, *foliis linearibus*,

(a) L. 6.

*bus, scapo paucifloro Halleri (b), quæ varietas jamdudum Botanicis nota est; & in altera *Aretia* (c) in summis nostrorum Alpium herbidis jugis frequentissima, & cujus copiam mihi fecit amicus meus singularis D. Gagnebin in summo Pyrenæorum Monte *du Canigou* repertam. Ea omnino accedit *Aretiæ foliis ciliatis, linearibus, floribus umbellatis* Hall. (d) foliorum durorum obscure virentium rosulis, umbellarum conformatio[n]e, floribus, qui purpureo-violacei sunt; sed differt *foliis ne minimum quidem ciliatis*.*

Quæ a nobis existimatur esse *Aretia glabra, obtusi-folia, umbellifera* Halleri, multa nascitur in herbidis, nivosis jugis *Du Vallon* supra *cels* in Valle *Exiliarum*, & copiose etiam in utroque Monte *Cenfio*. Dominus *Valle* (e), qui insignis
ex-

(b) L. c.

(c) Raro apud nos occurrat *Aretia foliis linearibus, glabris, scapo paucifloro* Hall.

(d) L. c. num 5. T. 7.

(e) Hujus egregii Viri cum in rem herbariam merita non exigua sint, mihi liceat hic ejus vitam breviter indicare. Fuit is Medicinæ Doctor Taurinensis, qui tum Alpium, tum agri Taurinensis plantas sedulo inquisivit. Cum magna flagraret herbas, & naturalia quæque noscendi cupiditate, avide occasionem arripuit, quæ ipsi se se obtulit Corsicam petendi: anno enim 1747. exercitum nostrum secutus est Medici munere fungens. Quanta diligentia potuit, & quantum per ipsi concreditum officium licuit, herbas, semina, conchilia, insecta, & quæ reliqua sibi obvia erant, collegit. Sibi interim non cavens, & nulli labori parcens sub fervido cœlo, & calidissima tempestate, febri ardente correptus, trium dierum spatio misere e vivis fuit eruptus. Collectio herbaria ad barbaras ignorantium manus post ipsius obitum cum pervenisset, a quibus res inutilis habebatur, pessumdata fuit, ut ne ejusdem quidem frustulum in Pedemontium devenerit. Quæ reliqua reperta domi suæ sunt hic Augustæ Taurinorum seu collectiones, seu manuscripta ab illius heredibus coëmi. Doleo tamen non omnia sua adinveniri potuisse. Collectiones duæ ad manus meas pervenerunt tantummodo; una herbarum quas circa Savonam reperit, & raras aliquot continet. Altera illarum stirpium est, quas anno 1744 observaverat, dum Montes, & Alpes Segusi, Exiliarum, & Fænestrellarum perlustraret. Illarum historiam scripsit juxta Tournefortii methodum distributam, & complectitur omnium, quas repererat, stirpium descriptionem cum loci natalis adnotatione; sed hujus utilis, & operosi laboris libellus unus solum repertus est, quatuor priorum classium herbas recensens, & describens.

extitit Taurinensis Botanicus eamdem Aretiam legit ad dexteram viæ, quæ ex Monte *Vallon de Chaumont* ad alium superiorem dicit *Craye du credenage* appellatum.

Apud Auctores Botanicos Synonima nulla invenio. Hallerus (f) dubitat hanc esse posse *Androsacem perennem, alpinam, angustifoliam, glabram, & multifloram* Tournefortii, quam Tournefortii Androsacem ad aliam alibi refert (g) sed memorata a Tournefortio spectare potius videtur ad *Aretiam foliis linearibus glabris, scapo paucifloro* Halleri.

Aretia genus ab Hallero est institutum, qui vidit has androsaces species ab *Androsace Matthioli* differre *tubo floris cylindrico, calyce non serrato, & corolla decem glandularum sub origine segmentorum positarum* quibus statutis & inter *Aretia* species locum mereri posse videtur rara quædam plantula, in Helvetia nondum obvia, & in Alpibus, quæ Monte Vesulo, & Monte Cenisio interponuntur longe frequentissima, de qua licet nonnulla hic subjicere.

„Ex tenui radicula ea oritur, & humi jacens caulinis repeat valde ramosa; rami pene nudi sunt, & rubent; ad ramorum divisionem densus est floccus foliorum, quæ lanceata sunt, sessilia, ex viridi cinerea, brevissime hirsutula, unciae *Parisiensis* trientem longa, dimidiæ lineæ latitudine in ampliori parte. Inter folia ad ramorum originem unus, aut alter oritur pedunculatus flos magnus, Luteus *Jasmini Lutei vulgo dicti bacciferi* C. B. fere forma, & amplitudine. Infundibuliformis flos est, limbo in quinque lacinias linearis-ellipticas, crenulatas, sœpius inflexas, secto: ad singularum Laciniarum originem squammula, & sub ea glandulæ nectariferæ

oc-

(f) L. c.

(g) It. helv. 1739. xxxix. Refert nimurum ad *sedum alpinum alterum lacteo flore pannonicum* Clus. *pannon.* p. 439. 490., h. e. ad *Aretiam villosam*; nec aliter habet in nova opusculorum suorum Botanicorum editione, quæ prodiit Gottingæ anno 1749.

„occultantur. Antheræ quinque cùm filamentis brevissimis ad
 „collum corollæ sitæ, erectæ, conniventes. Stylus tubo floris
 „longior: stigma rotundum. Calix tubo floris paulo brevior,
 „erectus in quinque longa linearι-acuminata segmenta divisus.
 „Fructus intra calycem maturat, qui fit capsula globoso-acu-
 „minata, calyce non omnino tecta, semina nigra pauca, má-
 „gna, ex una parte striata, altera concava continens.

Hanc stirpem primus descripsit Fabius Columna (h) Sedi
 alpini F. Gregorii Regiensis nomine. Deinde vero eamdem
 Tournefortius (i) recenset (l) vocans *Auriculam ursi alpinam*,
gramineo folio, *Jasmini Lutei flore*, quo nomine sed vitiato
 (m) enumerat Tilli in Horto Pisano.

Novum tandem ex hac stirpe (n) genus constituit Leo-
 nardus Sesler (o) a celeberrimi viri, nunc in Universitate
 nostra Botanices Professoris, nomine *Vitaliana* diēta, appella-
 turque ei *Vitaliana*, *perennis*, *repens*, *foliis oblongis*, *integris*,
angustis, *acutis*, *caule laxe ramoso*, *floribus magnis solitariis lu-*
teis, *petalis inflexis*. Columnæ synonimum addit hic Auctor,
 nil vero innuit de Tournefortii nomine, quod ad hanc plan-
 tam pertinere adnotavit Vir naturalis Historiæ maxime gna-
 rus Josephus Monti Bononiensis Botanices Professor in novis-
 sima (p) quam fecit suorum indicum editione.

D

Vi-

(h) Ecplbr. p. alt. p: 63.

(i) Inst. 122.

(l) Ita specificè *gramineo folio*, & *flore Jasmini Lutei* indicatur stirps hæc, ut
 pro certo haberi possit de hac, & nulla alia Tournefortium intellexisse.

(m) Ibi legitur *Auricula ursi*, *alpina gramineo folio*, *Jasmini odore*, *flore luteo*
 Tourn.


(n) Agg. al saggio della storia natur. del mar. adriat. del signor Vitaliano Donati
 pag. 71.

(o) Diu dubitavi num Leonardi Sesler stirps eadem omnino cum nostra esset, sed
 omnem dubitationem sustulit in re Botanica maxime versatus Julius Cæsar
 Moreni Pharmacopeus Veronensis, qui *Vitalianæ* siccum specimen misit, quo
 certior hac de re factus sum, & omnis mea sublata est dubitatio.

(p) Indices Botanici, & materiæ medicæ &c. Bononiæ 1753. quarto p. 74.

Videant Botanici, num *sedum montanum*, *perpusillum luteolis floribus* Parkins. (q), & *Primula flore subsessili foliis linearibus* Linn. (r) ad nostram stirpem pertineant.

Dixi sub Aretiæ genere posse comprehendendi, ita etiam existimat Illustris D. Gagnebin, qui præterito anno hujus stirpis exemplar ad me misit a se collectum anno 1730. in summis Alpibus Embroduni in monte quodam Abbatiae de *Boſcodon*, & missæ stirpi sequens nomen fecit *Aretiæ cauliculis teretibus, foliis linearibus villosis, floribus magnis luteis, sessilibus, fere umbellatis*.



LE-

(q) *Theatr. Botanicum* p. 737.

(r) *Linn. Amoen. Acad.* p. 160.

LEPIDUM CAULE REPENTE FOLIIS
OVATIS AMPLEXI-CAULIBUS

Hall. helv. p. 546.

T A B. IV.

LONGISSIME radiculis varie ramosis , & filiformibus inter lapides repit hæc stirps, cuius bonam descriptionem primus dedit Joannes Jacobus Scheuchzerus (a), & nomen ei dedit *Thlaspi alpini*, *folio rotundiore carnoso*, *flore purpurascente* Tournefortii, nec Alpina hæc herba fugit egregium Barrelierum. *Thlaspi* etenim ejus *montanum*, *serrato cepæ folio*, *flore purpurascente umbellato* (b) huc videtur referendum, uti etiam *Thlaspi subrotundo folio*, *utriculo gruinali ejusdem* (c) ex Halleri observatione (d), qui postremo eam descripsit , & novo instituto generi *Lepidii* accensuit .

Barrelieri icon cum minime bona fit, novam ponimus, cui & nostram descriptionem addimus, quod nonnulla etiam ad- jungenda habeamus .

Radix igitur, ut diximus, tenera & succosa longissime re- pens ei est, multiceps . Caules digitales sunt, aut vix ultra, fungosi , succosi , striati , simplices , incurvi . Folia ex radice aliquot elliptica petiolata, margine integerrimo, aut modice serrato ; caulina sessilia sæpius triangularia , apice rotundo , cum alis duabus caulem amplectentibus : omnia crassa sunt , succosa . Umbella densa florigera ; flores coloris dilute violacei ; petala ex longis unguibus linear - ovata ; Flores , qui

D 2

me-

(a) *It. Alp.* 50.

(b) *Icon.* 848. *obs.* 365.

(c) *Icon.* 1305. *n.* 11.

(d) *Clar. Jussieus* *Synonimum esse credidit bursæ pastoris , montanæ , globulariæ*
folio Tourn. *Hallerus autem ex silicula acuta figura ad lepidum rotundit.*

medium umbellæ tenent seriores. Umbella, postquam flores deciderunt, spica fere evadit. Siliculæ sunt incurvæ, utrinque acutæ cum spinula; ex duobus valvis navicularibus componuntur. Semina habent utrinque duo, rarissime plura.

Crescit copiose in Monte Cenisio in saxosis jugi *Ronche* dicto; in summis jugis Alpium Valdensium etiam collegi.

Siliqua elliptica acuta in spinulam abeunte differt a *Thlaspi*, sed nonne inter *Drabæ*, aut *Alissi* species enumerari possit?



LYCHNIS FLORIBUS UMBELLATIS
OCHROLEUCIS, PETALIS OVATIS,
FILAMENTIS NIGRIS.

T A B. V. F. II.

RADIX huic Lychnidi est digitalis, pro plantæ modulo crassa, obscure albescens, fere lignosa, varieque intorta, cespites rosularum plures super terram extendens, quas componunt folia lingulata, fine plerumque elliptico-acuto praedita, & costa, seu sulco divisa, uncialis præter propter longitudinis. Inter folia oritur infirmus caulinus digitum altus, nodosus, & ad nodos folia habens conjugata, caulemque amplectentia. Conjugationes tres, quatuorve sunt. Caulinus rotundus est, & ejus summitati insidet florum umbella; ultimæ nempe foliorum conjugationes porrigunt pediculos, nunc simplices, nunc semitrifidos singulos gerentes florrem luteo-pallidum, seu ochroleuci coloris. Petala quinque, plana, integra, non emarginata, sed oblongo-ovata unguibus longitudine calycis. Ad Limbi petalorum initium in quolibet petalo squammulæ duæ erectæ. Filamenta decem, quorum quinque corolla altiora erant; omnia vero ex receptaculo orta nullis cum unguibus adnatis, & nigri coloris, cuius coloris sunt etiam unguis petalorum. Apices staminum didymi, & e viridi cinerei, styli plerumque duo antheris longiores, corniculati. Calyx monophillus, tubulatus, viridis, ore quinquefido, & fructus unilocularis. Prima folia radicalia vix hirsuta; caulina autem & caulis evidentius, omnium maxime calyx.

Rarus est in Lychnidum familia luteus color, sed plane nova, & omnino singularis hæc coloris compositio, ut mini-
me

me dubitaverim ex floris, & staminum colore specificum hujus Lychnidis nomen deducere.

Si attendas, benevole Lector, ad floris, & fructus partes, easque simul compares, videbis adesse in hac Lychnide *peta-la oblongo-ovata, integerrima, cum duobus denticulis ad limbi ortum, & cum calyce tubulato, fructuque uniloculari stylis duos, aut tres, stamina nulla unguibus jungi, & totam stirpem visciditate carere*; quæso igitur cuinam ex generibus Lychnidum a plerisque recentioribus constitutis inferenda erit.

Mei non est de Viris doctissimis, & in æternum colendis judicium ferre; sed meam, si permittatur, opinionem adducere, dicam libere, quod mihi videtur, Lychnidis nimirum naturalissimum & in suis speciebus plane cohærens genus non esse in tot nova genera rescindendum, genera plantarum potius esse coercenda, quam amplificanda; neque comprobare scio inventam apud rei herbariæ Scriptores consuetudinem, qua, ut cuilibet placet, & prout uniuscujusque sistematici commodum venit, species in genera eriguntur, nominibus aut novis excogitatis, aut, prout arridet, commutatis in maximam stirpium confusionem. Verum utique est Lychnidis amplissimum genus, tot speciebus onustum ulteriores distinctiones exposcere. Lychnidis igitur familia in ordines diversos dividatur, prout tradendæ plantarum historiæ cuique videbitur opportunum, quæ distinctio tyrones quammaxime jubarunt. Id præstítit optimo sane consilio in *Ranunculo ex. gr. incomparabilis Vir Hermannus Boethaavius*, cuius exemplum secutus est Doctis. Hallerus in *Veronica*, *Viola*, *Alsine*, *Gentiana*, *Pediculari*, *Allio &c.* aliique in aliis; sed ad ea, quæ restant de nostra Lychnide scribenda, deveniamus.

Locus natalis hujus plantæ est altissimum jugum *Afiette* inter *Exilliarum*, & *Fænestrellarum* arcem positum; legi etiam in parvo monte *Ceniso* & proximis jugis *Savine*, & *Jaillon*. Oritur insuper in magno monte *Ceniso* ad editas rupes *Col de*

de la fenetra nuncupatas, quæ imminent vico la Ferriere.

A nemine auctorum, quos evolvere datum est, sermo de hac Lychnide habetur, nisi fortasse de hac intellexerit Bocconus, qui *mus. p. 2. p. 75. Tab. 63.* dicit Montis Cenisi in colam esse *Lychnidem rubram montanam, globulariæ capite, & facie.* Sed Bocconus suam ex Barreliero describit, qui eodem nomine (a) exhibet *ic. 498.* Uterque ex Fabio Columna (b) iconem ex integro mutuati sunt, ut verisimile sit nec Barrelierum, nec Bocconum memoratam Columnæ stirpem vidisse, cum iconi, quam suffurati sunt, nihil descriptionis addiderint. Forsanne Bocconus nostram in monte Ceniso adnotavit, & ad superius dictam Columnæ retulit?

Quidquid sit certum est *globulariam, luteam, montanam Col.* diversissimam herbam esse, nec oriri in Monte Ceniso, quem attente, diligenterque plus una vice perlustravi.

Nomine *Lychnidis minimæ, pyrenaicæ umbelliferæ* Tourn. (c) extat nostra planta in herbario eximii Medici Taurinensis Laurentii Terranei; fuit is insignis anatomicus, & edidit de glandulis urethræ tractatum (d), præterea Botanicem coluit, & ejus caussa in Alpes nostras multas fecit excursiones. Immatura, & acerba morte præreptus breves dies duxit vir longiori vita omnino dignus; mortuus enim est anno 1714. ætatis annum habens septimum supra trigesimum.

Quas in variis itineribus collegerat stirpes juxta Tournefortii methodum in herbarium redigit quatuordecim volumini bus in folio constans, quod herbas indigenas plures comprehen-

(a) Ut animadvertisit Clar. Jussiæus obs. in Barrel. n. 659. *rubram pro lutea* scripsit Bocconus.

(b) *Globularia lutea montana, col. ecphr. p. 1. p. 153.*

(c) Hallerus vocavit hanc *Lychnidem* Tourn., *Silenem floribus in capitulum congestis, quæ tum a nostra hac, tum a Lychnide globulariæ capite, & facie Barrelieri, & Bocconi differens est.*

(d) *Laurentii Terranei de glandulis universim, & speciatim ad urethram virilem novis Taurini 1709. 8.*

hendit cum non paucis super eas observationibus. Optimi viri
preciosum hoc monumentum meum fecit meritissimus Terra-
nei discipulus D. Massola celebris Taurinensis Medicus, cui ab
auctore testamento fuerat relictum. Ex hoc herbario colligi-
tur optimum hunc virum herbarum caussa peragratum esse
*Montem Vesulum, Montem Ceniseum, Alpes Bugellenses, Cana-
picienses, Stamadienses, Maurianenses, Augustæ Prætoriæ, &
Sabaudiæ, Montisferratum; Albigaunii, Garexii, & Taurinorum
agrum.*



LYCHNIS ALPINA REPENS SAXATILIS, quæ
BEHEN ALBUM VULGO, FOLIO
LATIUSCULO, ET BREVIORI Ponted.

Comp. 128. *eadem fl. purpurascente ej.*
ibidem.

T A B. V.

QUÆ nunc describenda venit Lychnidis species, ea sicuti
mera Behen albi vulgaris varietas enunciatur a doctissi-
mo Hallero; sed reapse distincta species est, uti ex
plantæ descriptione, aliisque animadversionibus evidenter osten-
demus.

Habet hæc Lychnis caulinulos plures repentes, glabros,
nodosos, varie distortos; qui ex una flexuosa radice exoriuntur:
ad nodos ponuntur folia opposita bina, rotunda, modice
acuminata, glauci sæpe coloris, pilis brevissimis evidenter ci-
liata. Cauliculi nunc simplices, nunc ramosi, rami ex alte-
utra ala prodeunt simplices longis intervallis; rami omnes
sustinent unicum florem Behen albi floris omnino similem. Ca-
lyx inflatus magnus, ore quinque-dentato. Petala appendicu-
lata, & in duas lacinias profunde secta. Hæ Laciniæ nunc
lineares sunt extremo bi- vel tri-dentato, alias ex angusto
subrotunde finiunt limbi extremo levissime crenulato. Filamen-
ta decem alternis brevioribus, & cum petalorum unguibus
connatis, corollam superant paniculatim posita. Antheræ sim-
plices viridiusculæ albis filamentis incumbunt. Styli tres pri-
mum corolla breviores; deinde antheris tabescentibus extra
florem longissime producti. Fructus rotundo-conicus tribus
valvis dehiscens, semina angulata, obscura copiose includens.

E

Na-

Nascitur copiose inter mobiles lapides, quibus abundant
sæpiissime Alpium scopuli; frequentior est in Alpibus Valden-
sibus, quam in reliquis.

In ruditis altissimorum Montium *Baldi*, & in *Vette* repe-
rit Doctissimus Vir Julius Pontedera. Nostram vero cum
illa eamdem esse omnino certus sum, eo quod certiorem hu-
manissime per litteras me fecerit laudatus celeberrimus Vir,
ad quem olim nostræ *Lychnidis* specimen miseram.

Nunc ergo ad eas veniam tradendas differentias, quibus
hæc *Lychnis* a *Behen albo* distinguatur; si aliquod quidem
argumentum ex loci natalis differentia peti potest, adnotabo
in primis hanc nonnisi alpinam esse, & alpium editiora in-
habitare, cum *Behen album vulgare* summas alpes non attin-
gat. Ex alpibus in hortum translata nullam subit mutationem,
& culturæ etiam renitur. *Behen album* vero, uti omnes no-
runt, ita se se propagat ut difficile etiam extirpari possit; alia
certiora discrimina planta ipsa suppeditat. *Lychnis* hæc con-
stanter cauliculis repeatat, nec se se erigit. Folia subrotunda
sunt, & sæpe ciliata. Cauliculi, eorumque rami, qui singu-
lares sunt, unico magno flore terminantur. *Behen albi vulgaris*
folia, licet variæ interdum amplitudinis, numquam subrotunda
evadunt, & ampliori basi caulibus adhærent. Caules erecti
sunt, non repentes, & ex alis caulum postremis nati pedicu-
li, simplices, aut semitrifidi, flores sustinentes, caules finiunt.

CAMPANULA PLERUMQUE MULTICAULIS,
UNIFLORA; FOLIIS OVATIS, SESSILIBUS,
INTEGERRIMIS.

T A B. V.

QUE nunc describenda occurrit Campanula, montis *Cen-*
nisi incola est, & signatim nascitur in editissimo ju-
go *ronche* dicto eodem loco, quo inventa est *Viola*,
quam vocavi foliis *ovalibus*, *integerrimis*, *uniformibus*, *pedun-*
culis caulinis. Camp: Cenista fin.

Longa filiformis radix pluribus ortum præstat cauliculis
unciam altis, qui foliis stipantur alternatim nascentibus, sessi-
libus, ovatam amplam formam possidentibus. Quemlibet cau-
liculum flos unus finit pro plantæ ratione magnus, semiquin-
que-fidus, patens, cuius Calyx in quinque longos dentes se-
catur, & evidenter hirsutus est. Antheræ sunt longæ cum sti-
lo adhuc longiore tricorni de more gentis. Tenera, & gla-
bra in universum planta est. Folia in ambitu levissime, &
subtilissime hirsuta.

Nihil de hac Campanula commemoratur apud Auctores
Botanicos, nec Synonima invenio, quæ ad hanc esse referen-
da videantur. *Campanula caule unifloro* Linnæi (*a*) nulla ra-
tione ad nostram referri potest. *Campanula alpina*, *minima*,
integro acuminato folio, *flore albo* Pontederæ (*b*), & Seguierii
(*c*) ut omittam floris colorem, differt evidentissime floribus
in capitulum congestis.

E 2

CAM-

[a] Fl. Lapp. n. 85. Tab. 9. fig. 5. 6.

[b] Comp. p. 755.

[c] Pl. Veron. p. 178.

CAMPANULA FOLIIS HISPIDIS, CAULE
UNIFLORO Hall. helv. p. 493.

T A B. VI.

NOVA minime est hæc *Campanula*, sed a præclarissimo Hallero in sua stirpium helvetica enumerazione recentita, & descripta. Confido tamen acceptam Botanicis futuram ejus, quam hic sisto, descriptionem icone illustratam.

Folia linguiformia, acute terminata, læte virentia, pilis aspera, tertiam pollicis partem ad summum lata rosulam efficiunt, ex qua sæpe unus, interdum geminus, digitalis, aut minoris longitudinis oritur Cauliculus, plerumque levissime pilosus. Cauliculus nudus non est, sed uno altero folio donatur, quod radicalibus simile in sua origine Caulem amplectitur. Flos unicus, magnus, violaceus, in fauce potissimum lanuginosus, lacinias habens quinque obtusas ad extra revolutas ad medium floris usque non pertingentes. Calycem folia quinque componunt lingulata hyspida, & sinuosa, appendiculata cum appendicibus etiam hispidis, & sinuosis. Antheræ longissimæ sunt, compressæ, & inflexæ per brevissima filamenta cum squammis, seu valvis nectarii coalitæ: cum in hac campanula etiam quinque squammis violacei cum flore coloris embrio, seu ovarium tegatur, & comprehendatur. Srylus antheras longitudine superat, coloris primum albi, dein luteo-virescentis, stigma trifidum gerens cum segmentis revolutis, & corniculatis. Fructus immaturus dissectus tria locula exhibuit. Radix longa, filiformis est, flexilis, alba, ex qua sæpius una, aliquando plures foliorum rosulæ proficiuntur.

Neu-

Neutquam silentio præterea villos, qui folia, & calycem hispidum reddunt, in prona foliorum parte, & eorum ambitu præcipue conspicuos esse, & retrorsum duci subtilem hoc pacto serraturam mentiendo, eandemque plane villorum, aut, si velis, spinularum dispositionem in calycis etiam foliis observari.

Pro locorum ratione firmiores, & densiores villi sunt, aut debiliores. Cauliculus etiam sua altitudine maximopere variat. In editissimis jugis, quæ perpetua fere nix obsidet, propter Cauliculi brevitatem acaulos appetet hæc Campanula. Altitudo, quæ iconē monstratur, summa est.

Inhabitat summa Alpium juga amans nasci inter fractos lapides, & passim in omnibus fere Alpium, quas invisi, summitatibus inveni. Rara vero in Helvetia est (a).

Varietas flore albo in Monte Ceniso reperitur, ubi hæc mutatio frequens est; præter vulgatas, & ab aliis Auctorisbus jam memoratas, singulares alias his in Alpibus observavi. *Alba* Corolla ex. g. nitent *Gentiana* foliis amplexi - *Caulibus*, *floris fauce barbata* Hall. enum. p. 473. *Gentiana Asclepiadis* folio Clus. pann. p. 280. *Gentiana Alpina*, *pumila verna*, *minor* Tourn. inst. 81. *Vulneraria rustica* flore albo Tour. Inst. 391. *Anonis Alpina* humilior radice ampla, & dulci Tourn. Inst. Tourn. 401. *Campanula Alpina* urticæ folio minor, floribus reflexis, & unico ordine dispositis cæruleis Ponted. Comp. tab. 74. &c.

Vix a *Campanula* foliis echii, floribus villosis C. B. Prodr. p. 37. differre affirmat Doctissimus Hallerus, & memoratæ campanulæ meram varietatem esse dubitat, quoniam autem constanter uniflora est, nec unquam diversa foliorum figura invenerim, eâ nempe, quæ ad folia *Campanulæ* foliis echii &c. accederet, puto diversam revera speciem con-

sti-

(a) Vide Hall. l. c.

stituere, differentiam vero specificam præstant folia in nostra linguiformia acute terminata, in altera lingulata fine subrotundo denticulato. Scapus, aut Caulis in postrema multiflorus floribus pendulis; in prima flos semper unicus, & etiam major.

Commodum interea videtur præeunte Hallero (b) huc referre *Campanulam*, quam Tournefortius dicit *saxatilem echii folio, flore magno*.



CAM-

(b) *Inst. 110.*

CAMPANULA HIRSUTA, FOLIIS ELIPTICO-LANCEOLATIS, RARO DENTICULATIS,
CAULE UNIFLORO.

T A B. VI.

CAulis in hac Campanula palmaris & ultra, erectus, filiformis, sat durus, ex dura radicula prodit, in quo alterne, & sine ordine nascuntur folia primo elliptica, deinde angustiora, & acuminata, omnia hirsuta, ex utraque parte strigosa, & raris obtusis dentibus praedita. Summus caulis, qui florem gerit unicum plerumque nutantem, glaber est, cum planta tota de cetero valde hirsuta sit. Calyx etiam glaber aut vix hirsutulus; Laciniæ calycis capillares; flos Campanæ forma longus, ore obtuso, & leviter quinquefido.

A reliquis Campanulis, quæ ad istam accedere videntur, satis bene, ut mihi videtur, distinguitur; etenim foliorum forma, & magnitudo per gradus immutantur, neque ima folia cordata sunt aut subrotunda. Omnia deinde sunt dense, & subtiliter hirsuta, atque strigosa, ut evidenter pateat diversam plane esse a *Campanula uniflora, foliis imis cordatis, serratis, superioribus integris, hirsutis* Hall. enum. helv. 495. cum qua aliquomodo convenire videtur.

Oritur in umbrosis ad radices Alpis *Albergian* prope arcem *Fenestellarum*.

AL-

ALLYSSUM FOLIIS PINNATIS,
MULTIFORMIBUS, FLORIBUS
RACEMOSIS, LUTEIS.

T A B. VII.

ENUNCIATA Allyssi species nova prorsus mihi visa est, & Botanicis invisa, in qua illud est peculiare, ut folia pinnata sint, formæque multiplicis.

Prima, seu radicalia bursæ Pastoris folia repræsentant, pinnata pinnis fere alternis confluentibus, atque dentatis; caulinæ vero pinnata sunt pinnis nunc integris, nunc lacinulatis. Caules sæpe plurimi, ramosi, confestim nascuntur ex una radice fibrosa albescente, tortuosæ sunt, varie inflexi, & quandoque in solo lætiori inter se impliciti. Caulina folia alis duabus aucta caulem amplectuntur; & pinnae exhibit (*in primis*) semel vel bis lacinulatas: (*in secundariis*) integras absque laciniis. Pinnulæ etiam continuo angustiores fiunt in postremis capillares evadentes. Summitates cauliū, & ramorum desinunt in florū racemū, quorum unusquisque capillari nititur petiolo. Flos cruciformis, petalis ovalibus non emarginatis. Stamina sex dissita apicibus luteis ornata germe oblongum circumstant, quod evadit silicula ova-ta, turgida, quatuor aut sex obscuri coloris semina dissepimento affixa utrinque includens. Stylus in embryone germi-nis longitudinem æquat, brevior deinde fit in silicula matura. Calyx est lutei coloris, quem efformant quatuor foliola ellip-tico-acuta cito cum flore caduca.

Nascitur abunde circa thermas Valderianas in saxosis, & pratis secus torrentem. Pro locorum varietate folia aut vix hirsuta, aut quam maxime, & strigosa.

PER-

PERSICARIA ALPINA FOLIO NIGRICANTE,
FLORIBUS ALBIS Bocc. *muf.* p. 2. *tab.* 27.

T A B. VIII.

IN pratis Cottiarum Alpium, & ad earum convalles infren-
quens non est Persicaria, de qua sermo instituitur. Ejus-
dem primus, ut puto, monuit Balthassar Campi Lucensis (*a*)
iisdem locis repertam deinde recenset Bocconus, cuius Syno-
nimum repetunt Rajus (*b*), & Tournefortius (*c*). Bocconia-
na porro icone bene planta non exprimitur, & Campi descriptio
licet hanc esse commonstret, brevissima tamen est, & pauca
complectitur. Novam ideo, & accuratam descriptionem cu-
dere optimum duxi.

Ex una radice Caules multi nascuntur, cubitales, & sesqui-
cubitales quaqua versum positi, fere procumbentes, flexuosi,
virides, aut etiam rubri, cavi, & nodosi; ad nodos vaginæ
plerumque resectæ oram ciliatam habentes, in adultis, & de-
florentibus aridæ, folia vix petiolata, parum sinuosa in lon-
gum acumen sensim extenuata margine integerrimo, venosa,
costa folium dirimente, lète virentia, subtus & in ora sub-
tiliter incana.

Folia per fasces nascuntur, & cum iis scapi longi nume-
rosissimos flores habentes; flores magni, albi profunde secti
in sex, quinque, aut quatuor ovalia segmenta: stamina etiam
numeravi incerto numero, octo, septem, aut etiam quinque;
germen trigonum cum duobus, aut tribus stigmatis, & has
singulas seu florum, seu staminum (*d*) varietates icon demon-
strat,

F

strat,

(*a*) *Spicilegio Botanico di Baldassar, e Michele Campi. in Lucca 1669.* 4.

(*b*) *Suppl. hist. pl. p. 117.*

(*c*) *Inst. 5:8*

(*d*) Patet hinc ex numero flaminum, aut petalorum specificas in *Persicaria* ge-
nere differentias erui non posse.

strat. Summe demum ramosa planta est foliis, ramis, floribus fasciculatim nascentibus, & unam partem spectantibus.

Saporem habet tantisper amarum cum manifesta aciditate. In dysenteria quadam epidemica felici cum successu ejusdem decoctionem consuluit D. Bartholomæus Caccia quondam Botanices in Horto Medico Taurinensi Professor, cum Alpes herbarum legendarum caufsa inviseret.

Discrimen, quo a cæteris distinguatur hæc Persicaria, præstare mihi videntur *folia integerrima subtus incana*, & *habitus universus per fasces ramosus*, & *floriger*; demum *floris insignis magnitudo*: confundi nequit cum *Persicaria folio subtus incano* Raii (e), neque haberi veluti varietas *Persicariæ mitis maculosa* & *non maculosa* Tourn. In *prima* folia tomento sericeo dense obducuntur & flores plerumque quadrifidi, Hallero adnotante (f). In *secunda* spica longe rario, flores multo minores, habitus totius plantæ strigosior, & præterea folia sæpe maculata, quarum macularum vestigium nunquam vidimus in nostra.

Dictis in *Persicariæ* hujus descriptione adde glandulas nectariferas ad unguem segmentorum positas deprehendi. Ex illarum præsentia erit hæc Linnæo *Fagopyri*, seu, ut ipse vocat, *Helxinis species* (g).

An

(c) *Syn. ed. 3. p. 145.*

(f) *Enum. p. 181.*

(g) *Gen. plant. 2. 392.*

An HELIANTHEMUM ALPINUM,
MIRTHIFOLIUM, HIRSUTUM
Hall. helv. 780.

TAB. IX.

RADIX lignosa, rubens, & crassa repens plures præbet caules erectos, minime ramosos, digiti, aut palmi altitudine, quibus folia per conjugationes adnascuntur elliptica, aut oblongo-elliptica, firma, dura, hirsuta, & subtus brevi tomento incana; ad quamlibet porro conjugationem bina juniora folia exeunt. Caules finiuntur quinque, aut sex floribus luteis in racemum positis, qui ex suis pedunculis pendent cum foliolo unicuique supposito. Flos calyx, frustus cum *Helianthemo vulgari* convenit. Cauliculi ex viridi rubent, & multa hirsutie teguntur.

Collegi hoc *Helianthemum* loco *Pratavan* dicto Alpis *Affiette*.

Foliis firmis superna parte valde hirsutis, nihil acuminatis, aversa tomentosis, caulis erectis duris, & per conjugationes æqualiter foliosis, ea ratione, mea sententia, distinguitur, ut nec *Helianthemi vulgaris* varietas censi possit, nec ad *Helianthemum foliis ad terram congestis superne pilosis, inferne tomentosis* Halleri (a), aut ad *Helianthemum alpinum, vulgari simile, latioribus foliis Seguierii* (b), reduci, sed pro sui generis diversa *Helianthemi* specie considerari.

LEU-

(a) *Enum. fl. helv.* p. 359.

(b) *Pl. Veron. suppl.* p. 193. *Tab. VI. fig. I.*

LEUCOJUM ANGUSTIFOLIUM, ALPINUM,
FLORE SULPHUREO.

H. R. Par.

TAB. IX.

IN faxosis, & apricis tummarum Alpium apud nos frequen-
tissimæ stirpis primus meminit Dionysius Joncquet (^a)
cui nomen sequens imposuit, *Leucojum*, sive *Keiri Alpinum*
flore sulphureo odoratissimo; ex Joncqueto Tournefortius in suis
Institutionibus recensuit. Hallerus in enumeratione stirpium
helveticarum eandem stirpem commemorans eam profert ve-
luti varietatem *Leucii Sylvestris*, & ego etiam pro variis
locis, quibus nascitur, *Leucojum nostrum Alpinum* multum dif-
ferre observavi, caulis aut vix digitalibus, aut spithameis
iisdemque aut multum, aut parum foliosis, foliis demum
vel ellipticis, vel linearibus, denticulatis, aut integerrimis
ad Leucojum silvestre Clusii quammaxime accedendo. *Leuco-
jum*, quod tabula nona sistit, abunde nascitur in monte *Cen-
sio*, in loco *Ronche* dicto, & ibi duas ejusdem stirpis varieta-
tes observavi, quæ fig. 2., & 3. exhibentur.

Prima quidem folia habet radicalia, longe petiolata linea-
ri elliptico fine; folia caulina, non petiolata, linearia; flores
in umbella magni, aurei, petalis cordatis parum emarginatis,
unguis albis. Calyx erectus. Filamenta sex unguium lon-
gitudine cum duobus brevioribus. Antheræ filamentis incum-
bentes hastatae. Stylus brevis, stigma bifidum, sequitur fili-
qua pene quadrangularis, unciam longa. Semina compressa
ovalia rufi coloris non marginata, utrinque in septo siliquam
dirimente nidulantur. Secunda quam fig. 3. repræsentat, duplo
al-

[a] Hort. p. 72.

altior est. Flores minores, & petala ovata, non emarginata habet. Folia insuper ima hastata sunt, non cochleata petiolo sensim latescente, in ambitu dentata, dentibus semipinnata, fine acuto. Caules virides sunt in utraque non ramosi, nec flexuosi.

Ex siliqua constat hanc ad hesperidis genus revera pertinere; quoad Synonima, ubi a Botanicis decernatur varietas Leucii Silvestris, legantur apud Hallerum (*b*).



AB-

OKA

[*b*] *Enum. helv. p. 564.*

A BRO TANUM PUMILUM, FLORIBUS
MAGNIS, SESSILIBUS, RARIS,
LONGE SPICATIS.

T A B. X.

IN supercilio altissimi scopuli collis *La Croix* supra *Mirebouc* e saxorum rimis Abrotanum hoc fuit a nobis cum vitæ discriminè excerptum anno 1748. Augusti initio; quod nullibi deinceps occurrit.

Radicem habet nigram, exsuccam, varia capita fundentem, ex qua folia plura, & inter hæc digitalis caulis nascitur. Folia ex compresso petiolo nascuntur, ovato acuminatam circumferentia sua formam exhibent, pinnis iterum pinnatis composta. Pinnæ non exacte sæpe sibi respondent, sed fere alternatim positæ esse videntur; pinnulæ acutæ sunt, acuto uno, aut altero dente aliquando incisæ. Folia glabra sunt, & pinnæ a sex ad decem. Caulis striatus, & viridis, qui fere totus spica est florum sessilium alternatim positorum; sed qui unam partem præcipue spectare videntur: flores magni sunt, Lutei, calyce amplio squammoso comprehensi, vehementer odorati, & calycis squammæ ex viridi rubent, intus citrini coloris; receptaculum nudum. Folia paulo acutiora, & tenuius incisa sunt, quam tabula monstratur.

Ammannus (a) recenset Abrotanum quoddam a *Messerschmidio* collectum, & appellat *Abrotanum pumilum*, *folio tenuissime laciniato, flosculis majoribus, odore tanaci valido*; qua nomenclatura licet nostrum designari videatur, res nihilominus in ambiguo esse debet, eo quod nulla vel icon, vel descrip-
tio ultra nomen afferatur.

ANO-

(a) *Rar. Ruth.* n. 203.

ANONIS INERMIS, GLABRA, VAGINIS
LANCEOLATIS CRISTATIS, PETIOLIS
LONGIS, UNIFLORIS.

T A B. X.

RADIX lignosa, dura, nigra originem pluribus præbet caulinis tenuis, qui varie flexuosi eriguntur ad digitalem, aut paulo ultra altitudinem, undique fere tecti stipulis foliorum aut novorum, aut exsiccatorum. Nihil spinosum, nihilque viscosum tenens levissimam tantummodo in caule hirsutum exhibit. Stipulae cauli applicantur, & eum amplectuntur pro plantæ modo sat amplæ, ad externum ambitum in cristæ formam incisæ angulo acuto, ex cuius sinu pediculus prodit tria folia conjungens, quæ ex acuto principio in ovatam amplam figuram sensim extenduntur. Quod intermedium est folium, reliquis est amplius: Folia vero omnia acute denticulata sunt. Ex summis foliorum alis tres, quatuorve flores, qui caulem altitudine superant, & singuli singulis suis pediculis innituntur. Calyx quinque lineares dentes producit. Flos pulcher amplius ex albo purpureus, cum vexillo satis ample purpureo venis intensioris coloris virgato, qui similis est flori *Anonidis* quæ a Morisono (a) appellatur *Anonis purpurea*, perennis, foliis latioribus, rotundioribus, profunde ferratis. Fructus matus superat eam magnitudinem, quæ icona exhibetur, leviter villosus est, & semina saepius quinque compressa, cordata cum hilo exciso continet, rufi coloris.

Eritne hæc *Anonis non spinosa*, *minor*, *italica* Barrelieri (b), quam citatus Auctor in Italia, Jussiæus in Tarantasiæ finibus invenit? aut *Anonis purpurea non spinosa minor* ejusdem Bar-

re-

(a) *Hist. oxon.* p. 2. 170.

(b) *Ic.* 394. *obf.* 831.

relieri? (c). Prima pediculos foliorum habet breviores; folia etiam recedunt, si illud potissimum consideretur, quod naturali pingitur magnitudine; præterea stipularum alæ incisæ non sunt, majoremque efformant angulum, neque folia acute, & dense dentata sunt. Quod vero ad alteram pertinet, adverti cum nostra convenire quidem alis longis, & incisis; sed folia breviora esse; verum cum flores deficiant in iconē Barrelieri, & brevissima sit descriptio, nil certi statui potest. *Anonis* quidem *Alpina*, *pumila*, *glabra*, *non spinosa purpurea* Tour. (d) ad nostram probabiliter pertinebit.

In descensu montis *Cenisii* supra *Lanebourg*, deinde secus viam ad *Braman*; tum frequenter in claris & apricis silvis in vallibus *S. Martini*, & *Lucernensi* obvia mihi fuit.



AL-

(c) *Ic.* 1106. *obs.* 831:(d) *Infl.* 508.

ALSINE UNIFLORA , ET GRANDIFLORA
FOLIIS ACUMINATIS , PETALIS
INTEGRIS.

T A B . X.

ALSINE, cuius descriptio tradenda venit, frequens est in summis Alpibus Montium editissimorum Vallium *Valdensium*, & montis *Cenifii*.

Radix, quæ perennis est, & repens, cespites format caulinorum biuncialium, qui nunc simplices sunt, nunc varie ramosi. Cauliculi versus radicem valde foliosi, foliis ex adverso nascentibus; sed densissime. Cauliculorum magna pars pene nuda cum unam, aut duas ad summum habeat tantum foliorum conjugationes. Summus Cauliculus florem magnum producit pentapetalum cum bracteis integerrimis ovatis albis venosis. Calyx componitur ex quinque ovato acutis concavis amplis foliolis. Calyx diu persistit: florem sequitur fructus conicus, qui quinque dentibus aperitur, folia sunt linearia - acuminata in rigidam spinulam abeuntia, aliquantulum hirsutula.

Ab *Alsine foliis sulcatis aculeatis, petiolis unifloris, petalis integris* Hall. (a) diversa est: in hac enim caulinuli duriores ramis, & foliis maxime divergentibus, folia ex luteo virarent, firmiora sunt, glabra, ampliora, breviora, & minus acuminata. Calycis præterea folia in *Alsine Halleri memorata* sunt similia caulinis; in nostra sunt a caulinis diversa.

Nostra erit ne *Myosatis tenuissimo folio rigido* Tournefortii?

G

PE-

(a) *Enum belv.* p.388.

PEDICULARIS FOLIIS BIS PINNATIS,
 CALYCE NON CRISTATO, FLORIBUS
 OCHROLEUCIS IN SPICAM
 NUDAM CONGESTIS.

T A B. XI.

CAULIBUS se se erigit hæc Pedicularis palmaribus , aut paulo altioribus, rotundis, striatis, obscuri coloris, intus cavis . Folia habet duplicato - pinnata nervo non folioso , & tenuia . Longe elliptico - acuminatam formam habent folia , quæ constituunt pinnæ viginti , & ultra , postremis confluentibus . Pinnulæ iterum pinnatæ sunt pinnis sex aut septem , atque hæ secundæ pinnulæ sunt acuti longi dentes, nunc simplices , nunc ramosi . Prima folia longe petiolata sunt, secunda sessilia ; omnia juxta caulem ascendentia . Sub spica plura adsunt fere in orbem posita . Spica caulem terminans floribus componitur , quibus galea non est omnino obtusa , cum tubo sat longo , hiatu parvo . Lutei , aut ochroleuci coloris sunt : cuilibet flori subjicitur foliolum nonnisi deductis floribus fere visibile . Calyx floris tubulatus est tantisper inflatus , ore inæqualiter quinquedentato . Tota planta villis quibusdam albis ornatur .

Valde similis est pediculari *foliis alternis, pinnis pinnatis, floribus ex spica florigera longe eminentibus* Halleri (a) potissimum foliis , quæ similiter omnino inciduntur ; sed nostra caules habet duplo certe quoad crassitatem minores , folia obscuriora , nec subtus pallent ; nulla folia spica longe emittit , itaut pro diversa considerari possit , nisi fortasse *memorata* Halleri variet , nec constantissime habeat spicam , uti icone Halleriana exhibetur , *foliosam* .

Nascitur abunde in pratis alpinis a montibus *Fenestrellarum* usque ad montem *Cenisium* inclusive .

PE-

(a) P. 623. T. 17. f. 2.

PEDICULARIS FOLIIS ALTERNIS , PINNIS
SEMIPINNATIS, FLORIBUS ROSTRATIS
OCHROLEUCIS DENSE SPICATIS.

T A B . XI.

RADICEM hujus pedicularis formant plures oblongi bulbuli, ex quibus pedalis prodit caulis rotundus , primum rubens , dein virens . Folia ex radice pauca petiolata , circumscriptione oblongo - elliptica , pinnata pinnis 18. ad 20.: pinnae dentibus alte , & acute excisis semipinnatae fiunt. Caulina folia alterna , rara , & similia radicalibus ; sed superiora sessilia , non petiolata . In summo caule spica florum , quorum galea rostrata est rostro acuto , barba integris tribus segmentis divisa , medio segmento minore . Calyx quinquedentatus , non cristatus . Fructus ovato - turbinatus , compressus . Floribus folia non interponuntur , flores sessiles sunt .

Habitat in pratis summis editissimi , prope *Annecium* , in Sabaudia montis la *Tourrette* . Radice , & foliorum forma parum , aut vix quidem diversa apparet ab ea , cui Hallerus (a) nomen instituit *Pedicularis alpinæ* , *foliis alternis pinnatis* , *floribus ex atrorubentibus in spicam densam congestis* , sed praeter floris colorem repugnat forma galeæ , quæ in *Halleriana* obtusa est .

G 2

PE-

(a) *Enum. belg. T. 16. f. 2.*

PEDICULARIS PINNIS FOLIORUM ACUTE
PINNATIS, FLORIBUS OBTUSIS,
PURPUREIS, SPICATIS,

T A B. XII.

RADIX lignosa, nigra, ex qua varia capita, & veluti cespites foliorum; folia longe petiolata, petiolo compresso, & intus excavato, biuncialis, & ultra longitudinis. Pinnata sunt pinnulis uno, altero, vel etiam tribus dentibus acute, & profunde incisis; pinnæ vero 12. ad 14.. Inter hæc caulinus rotundo-striatus, firmus erigitur, qui sustinet spicam uncialem. Spica formatur ex floribus, foliolis dense interpositis. Calyx floris ore est quinque-fido, segmentis capillaribus, brevibus, multum lanuginosus; unde spica fit incana, & lanuginosa. Caulis, folia, & eorum pediculi potissimum splendide nigrescunt; & ad caput radicis squammæ plurimæ, seu reliquiæ foliorum emortuorum. Folia in caule rara, & brevi, raroque villo tum caulis, tum foliorum pediculi decorantur. Flores prælongo tubo e Calyce exeunt galea obtusa, & alata: obsolete purpurei coloris sunt; galea intensius colorata; barba floris trifida est ut in cæteris pedicularibus.

Frequens est in summis nivosis jugis montis *Cenissii*, & alpium *Jaillon*, & le *Vallon*; prope deliquescentem nivem in scopolofis habitat.

Puto hanc pedicularim eamdem esse cum ea, quæ (a) ab Ammanno nominatur *pedicularis humilior*, *foliis tenuissime divisis*, *floribus spicatis purpureis*. Suadent rem ita esse notæ in hujus descriptione traditæ, neque locus natalis repugnat. Quamvis Ammanni pedicularim Gmelinus collegerit in sylvis inter *Jeravnen-*

(a) *Rar. Rutb.* p. 32.

Vvniente, & *Tschitiniense* munimentum ut & ad *Ingodam*, & *Schilkam* fluvios in *Dauria*; quis ignorat herbas alpinas in Septentrione pratenses, & campestres etiam fieri? *Plantæ alpinæ calidarum regionum in septentrionalibus pratenses sunt*, inquit Gmelinus (*b*), & Linnæus (*c*) observat in *Oelandia campestri* spontaneum esse *Astragalum Pyrenaicum non ramosum*, *barbæ jovis folio, flore ochroleuco glomerato* (*Tourn.*) Scheuchzeri (*d*), qui apud nos, & in *Helvetia* semper alpinus est. De eodem Astragalo illud etiam adnotavi, quod in alpibus Valdensibus nonnisi in summis jugis sit reperiundus inter postremas stirpes; in monte *Ceniso* autem, qui septentrionalior est, & in quo frigus longe majus, abunde nascatur in pratis planitiei montis *Cenisi*, quæ observatio eodem in loco de aliis etiam stirpibus institui potest.



PE-

(*b*) *Pref. ad fl. sib. cxiv.*

(*c*) *Flor. Svec. p. 214.*

(*d*) *It. Alp. 14. p. 330. cum iconē.*

PEDICULARIS FOLIIS ALTERNIS, PINNIS
SEMPINNALIS, FLORIBUS LAXE,
ET LONGISSIME SPICATIS.

T A B. XII.

POstrema hoc libello exhibenda stirps est minus nota quædam pedicularis, qua nil frequentius est nostris ubique in pratis alpinis, tum & in summis nivosis jugis.

Hæc radices possidet lignosas, filiformes, quæ uno capite colliguntur, ex quo nunc unus, nunc duo exeunt caules cubitales in altioribus speciminibus. Rotundi sunt, firmi, glabri, striati, & rubro-nigricantes. Folia ex radice pauca longe petiolata, pinnata pinnis viginti, & ultra cum ultimis confluentibus; pinnæ ad medium usque secantur dentibus acutis in spinulam fere abeuntibus; dentes isti aliquando, sed raro iterum novo dente inciduntur. Folia caulina radicalia omnino referunt; alterne sita, & rara. Postrema folia sessilia sunt. Flores in caule sessiles aliquo intervalllo alterne siti laxam, & longam spicam efficiunt. Flores obscuri sunt, parvi, purpureo-rubentes galea obscuriore. Galea multum rostrata, labium inferius trifidum cum laciniis subrotundis, medio minori, & virgati coloris purpurei. Calyx profunde quinquefidus. & lanuginosus; universa imo Caulis portio florigera est lanuginosa; folia floralia sunt pinnato-dentata, & singulis floribus unum subjicitur.

Pedicularis alpina *foliis alternis pinnatis, floribus atro-rubentibus in spicam densam congestis* Halleri (a) diversa ab enunciata est, floribus minime rostratis & in densam spicam congestis.

(a) P. 623. Tab. 16. f. 2

stis. Pedicularis nostra superius descripta (*b*), tum easdem ob rationes, tum propter floris colorem etiam ab hac ultima distingueda. Erit ne *Pedicularis alpina purpurea*, *strigosior*, *spica oblunga*, *incana*, *floribus alternatis*, & per intervalla positis Burs. (*c*) 2. Nomen certo ex integro congruit.



(*b*) *V. Tab. xi. f. 2.*

(*c*) *V. Lin. Amoen. Acad. p. 153.*

IMPRIMATUR :
Provicarius S. Officii Taurini.

V. Antonius Rezia P., & R.

*V. Se ne permette la Stampa
Di Quaregna per la Gran Cancellería.*

*Absinthium alpinum spicatum, foliis petiolatis,
radicalibus bis trifidis, caulinis pinnatis.*



Fig. 2.

*Alyssum pyrenaicum perenne minimum
foliis trifidis. Tourn.*




Fig. 1.

*Absinthium alpinum candum
humile. C. B. Pr. 71.*



Fig. 3.



Achillea foliis integris, odoratis, cicutiformibus, in apice denticulis.

Tab. II.



Fig. 1.

Achillea foliis pinnatis, lanugine totis
obductis floribus albis umbellatis. Hell.

Fig. 3.



Fig. 1



Fig. 2.

Viola alpina nummulariae folto. Boce.

color antiquarii curvus, et aliis
et rotundis, et aliis triangularibus.

FIG. 2. *Sedum erectum remosum, foliis planis, floribus albis
longe pedunculis.*

Tab. III.



Fig. 1.

*Saxifrage foliis palmatis, caule dense
folioso et florigero.*

Fig. 4.
*Viola scutolos foliis uniformibus,
ovalibus integrerrimis.*



Fig. 3.

*Veronica caule simplici, floribus congestis
terminato, foliis ovato acutis dentatis.*



Franc. Peyronery Delin.



luteo-petiolata



Fig. 1

foliis et floribus
luteo-petiolata aganthia
caulis decurrens

Fig. 2

luteo-petiolata luteo-petiolata concolor
caulis decurrens



Lepidium caule repente, foliis ovatis amplexicaulisbus. Hell. helv. P. 546.


Fig. 1.



Veronica repens, ex aliis spicata, foliis rotundis, firmis, glabris, denticulatis.

Tab. III.


Fig. 3.




Anemone glabra, obtusifolia, umbellifera. Hell.

Fig. 2.





W.H. exilioides, sibolanae, Inde, 1850. A. 1850.



F - 1.



F - 2.



F - 3.



A



B



C



D



E





Fig. 2.

Campanula foliis elliptico-lancolatis hirsutis
raro denticulatis caule uniflora.



Tab. VI.

Fig. 1.

Alyssum pyrenaicum perenne minimum
foliis trifidis. Tourn.




Fig. 3.

Campanula foliis hirsutis,
caule uniflora. Hall.





Tab. VII.











Fig. 1.

an Helianthemum alpinum mirthifolium hirsutum. Hall.



Franc. Peyrolery Del.



Fig. 2. Fig. 3.

*Leucojum angustifolium alpinum
flore sulphureo. H.R.Par.*



Perrin Peyrolery Scul.



Tab. X.

*Alline uniflora et grandiflora, foliis acum
inatis, petalis integris.*

*Anonis glabra, inermis, pediculis longissimis
unifloris, vaginis foliorum cristatis.*



Fig. 1.

*Abrotanum pumilum, floribus magnis,
sessilibus, raris, longe spicatis.*



Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 1. Pedicularis foliis bispinatis, calice non cristatis, floribus
ochroleucis in spicam nudam congestis.

Fig. 2. Pedicularis foliis alternis, pinnis semipinnatis, floribus
rostratis, ochroleucis, densissimis spicatis.

Tab. XI.





Fig. 1.

Pedicularis pinnis foliorum acute pinnatis, floribus obtusis, purpureis, spicatis.



Fig. 2.

Pedicularis foliis alternis, pinnis semipinnatis, floribus rostratis laxe, et longissime spicatis.



Tab. XII.



